Digitized by the Internet Archive
in 2016

https://archive.org/details/pronovishonoribu00unse

PRO NOVIS HONORIBUS

QUEIS AB ECCLESIA ROMANA

BEATISSIMUM VIRGINIS MARIAE SPONSUM

ET IESU CHRISTI PATREM

IOSEPH

CHRISTI-FIDELES PROPE UNIVERSI

AUCTUM DISCUPIUNT

AD VATICANOS PATRES

VERONAE

EX TYPOGRAPHAEO SANCTI IOSEPH

propriet. Ant. Merlo

1869.

Honoramus patronos urbium sub festo solemni: cur non patronum Reginae nostrae Mariae Virginis eodem venerabimur honore? Supremae itaque solemnitatis officio Ioseph beatum prosequamur, quem in terris prae ceteris hominibus Christus ac beata Virgo venerati sunt. Adde quos vales solemniis Ioseph honores, quoniam eiusdem merita nondum nobis ad plenum dignota existunt. Quantis plausibus, qua laetitia, quibus honoribus ac praeconiis personare caelestem credimus Hierusalem cum Ioseph nominatur, quem parentem Deus ipse vocare dignatus est, quem Regina angelorum Sponsum amantissimum adhuc clamitat! — *Isid. de Isolanis Summ. de Donis s. Ioseph Part. 4, c. 7.*

Benedicite, o populi, sancto Ioseph, ut benedictionibus repleamini. — *Isidorus de Isol. Summa de Donis s. Ioseph. Part.* 5, *c.* 4.

1. Aeterna Dei Sapientia, quae attingit a fine usque ad finem fortiter, suaviterque disponit omnia (1), sicuti Nicaenam Synodum excitavit ut Iesum Christum Patri consubstantialem esse dogmatico iudicio assereret, Synodumque Ephesinam ut ineffabilem Virginis Mariae maternitatem poneret in tuto : ita Synodum Vaticanam eo etiam consilio eoque fine videtur nunc temporis excitasse, ut divinum Ioseph orbis totius christiani Patronum et Auspicem declararet. Sic genus humanum, quod a longa iam aetate tam praecipitem malorum seriem ingemuit, triplici, ut ita dicamus, sacrae Familiae pallio feliciter obtectum, novum ab integro saeculorum nascentem ordinem suspiciet, Deumque audiet de throno loquentem : *Ecce nova facio omnia* (2). Sic Ecclesia catholica, tot nefariorum hominum ausibus divexata, tot aerumnis et calamitatibus paene obruta, tanto humanae malitiae astu tantisque machinis undecumque circumventa, videbit et affluet et mirabitur et dilatabitur quando ponet eam Deus in superbiam saeculorum, aiente propheta (3), gaudium in generationem et generationem, et suget lac gentium, et mamilla regum lactabitur, et venient ad eam curvi filii eorum qui humiliaverunt eam, et adorabunt vestigia pedum eius omnes qui detrahebant ei. Sic

(1) *Sap. VIII.* 1. — (2) *Apoc. XXI.* 5. — (3) *Isai. LX.* 14. 15.

Pius Papa IX, quem ingluvies numquam exsaturata hybridae belluae (italice audit *Rivoluzione*), totam fere Italiam depastae, quoquoversus adhuc hianti ore minitatur, a novo caelesti sospitatus Patrono, herodianam inimicorum suorum iram evadens, enarrandum nepotibus aget triumphum.

2. Benedictus XIV in Opere suo praeclarissimo, quod *De Servorum Dei Beatificatione et Beatorum Canonizatione* inscribitur, Ioannem Gersonium Cancellarium laudat, quod Concilii Constantiensis Patres, ut sanctum Ioseph eligerent Patronum, fuerit hortatus. En doctissimi huiusce Pontificis verba: *In Constantiensi Concilio Cancellarius Gersonius Patres admonuit, ut aliquid laudis vel honoris instituerent pro sancto Iosepho, quem in Patronum eligendum esse suadebat, pro extinguendo tetcrrimo schismate inconsutilem Christi vestem tunc lacerante, uti colligitur ex eius sermone* de Nativitate beatae Mariae Virginis, *et Gersonis consilium placuit Concilio, teste Antistite Christopolitano in tractatu super* Magnificat (sermo fuit pergratus et acceptus toti Ecclesiae ibidem congregatae). Commendat praeterea Isidorum de Isolanis ex Ordine sancti Dominici scriptorem pientissimum, quia beatum Ioseph universae Ecclesiae Patronum appellavit: *Sic in praesentibus Ecclesiae calamitatibus solus, qui superesse videtur, honor et cultus sancto Ioscpho superaddatur, eius videlicet nomen in litaniis maioribus describendo, certa spe ut ipse, qui ab Isidoro de Isolanis in supracitato tractatu 3 cap. 8* Patronus Ecclesiae militantis *appellatur, sua intercessione pacem Ecclesiae et haeresum extirpationem sit a Domino Deo impetraturus* (1). Haec, licet pauca, tanti scriptoris verba significare satis videntur, nec a recta ratione absonum, nec dignitati tum catholicae Ecclesiae tum sancti Ioseph disconveniens esse, si in Oecumenico Vaticano Concilio fidelis Christi Iesu Custos et Pater solemniter etiam totius orbis christiani Patronus conclametur. At non diffitemur in re tanti momenti improvido pietatis motu haud esse procedendum. Etsi enim in prae-

(1) *Lib. 4. Part. 2, cap. 20, num. 78.*

sentiarum propter incredibilem hominum levitatem innovationes quoque immutationesque nullo negotio inducantur, tamen Ecclesia Christi, fundata supra firmam petram, nonnisi post inquisitionem investigationemque peraccuratam sanctissimo Mariae Virginis Sponso tam insignem honorem decernere poterit.

3. Nos vero gloriae beati Ioseph (Deus testis est) amantissimos hoc aeque magnum ac dulce argumentum delibare iuvabit. Et quoniam tanta huiusce materiae copia brevibus paginis nullo prorsus modo comprehendi potest, ad amplius nostrum Opus duobus voluminibus constans, cui dedimus titulum *San Giuseppe Patrono della Chiesa Universale*, ablegamus lectores. Abscisse igitur ac summatim haec tria inquiremus: Expeditne I.° ut Synodus Vaticana beatum Ioseph, solemni atque in perpetuum valituro Decreto Ecclesiae totius, regnorumque omnium christianorum Patronum declaret? II.° ut admiranda divi Augustini doctrina, quae Patriarcham nostrum verum fuisse, quamvis non carnalem, Iesu Christi Patrem nimis aperte dicit, in huiusmodi Decretum inducatur? III.° ut Pater Iesu et Vir Mariae longe omnium tum veteris cum novi Testamenti iustorum primus et maximus, si non recte, oblique saltem, et in Decreto et in Officio affirmetur? Hisce porro disquisitionibus vix leviter attinctis, brevissimum quoddam veluti auctarium dabimus, scilicet equidem sub postulationis forma proposituri, qui et quales novo universae Ecclesiae quasi suppromo honores adiudicari ac superaddi queant.

4. Quod ad primam attinet disquisitionem, res est adeo perspicua et evidens, ut nullus videatur esse controversiae aut disceptationi locus. Enim vero qua de causa custos et angelus Christi non erit Ecclesiae totius custos atque angelus habendus? Et diximus *angelus*, quippe cum Carolus Stengelius Ordinis divi Benedicti monachus haec scribere non dubitaverit: *Contemplativi quidam non insulse affirmant eumdem* (sanctum Ioseph) *in Christi custodem fuisse divinitus ordinatum. Nam sicut ad custodiam nostram Deus spiritus angelicos destinavit, sic sanctus Iosephus loco angeli custodis Christo extitit; quorum nullus ei*

fuit assignatus, quia ipse potius erat custos angelorum, eos qui non ceciderunt a casu praeservans. De angelis ait David: Angelis suis Deus mandavit de te, ut custodiant te in omnibus viis tuis (1). *Sic sanctus Iosephus in via ad Aegyptum, et in via ex Aegypto ad propriam patriam Christum infantem custodivit, et velut alter Raphael Tobiam iuniorem incolumem ad propriam domum reduxit, immo et ab immatura morte, quam herodiana tyrannis ei inferre moliebatur, diligenter eripuit. Et si de eisdem angelis ait idem regius Vates:* In manibus portabunt te, ne forte offendas ad lapidem pedem tuum: *quis, quaeso, in dubium revocabit, hunc sacrum custodem, tamquam Christi nutricium, per fragosa illa Aegypti itinera, manibus et brachiis illum amplexantem, tamquam divinum Atlantem non semel eum portasse* qui appendit tribus digitis molem terrae (2)? *Ex quo liquet, ipsum etiam angelicos custodes longe praecelluisse* (3). Haec, inquimus, scripsit Augustae Vindelicorum ineunte saeculo decimo septimo Carolus Stengelius in sua *Historia Vitae divi Iosephi.* Et quidem sapienter: nemo enim dignitatem custodis Christi longe multumque dignitati custodis Ecclesiae antecellere inficias ibit, vel rationi consonum esse ambiget, quod custos capitis sit custos et corporis, Christique servator sit et membrorum eius columen ac tutela. Quid namque Ecclesia est, nisi corpus et plenitudo Christi? Audiamus Apostolum ad Ephesios scribentem: *Et ipsum dedit caput supra omnem Ecclesiam, quae est corpus ipsius, et plenitudo eius, qui omnia in omnibus adimpletur* (4). Si ergo Ecclesia est plenitudo Christi, quid ni custodiae Christi plenitudo custodiae totius Ecclesiae adiiciatur?

5. Res porro eo magis elucet, si divinum hunc virum consideremus beatissimae Virginis Mariae fuisse patronum, quemadmodum eum perbelle appellare non dubitat Isidorus de Isolanis qui scribit: *Honoramus patronos urbium sub festo solemni: cur non patronum Reginae nostrae Mariae Virginis eodem venerabimur honore* (5)? Ecquis enim

(1) *Ps.* 90. — (2) *Is. XL.* 12. — (3) *In vita s. Ioseph. cap* 11. — (4) *Eph. I.* 22. 23. — (5) *Part.* 4, *cap.* 7.

christicolas omnes simul etiam sumptos, quamvis prae multitudine numerari nequeant, Deiparae omni prorsus labe carenti audeat anteponere ? Numquid christianus populus tot miseriis laborans, tanta morum pravitate tabescens, totque ac tantis oppressus criminibus illam quae, dum hospes adhuc atque in hoc mundo peregrina dies ageret, fuit semper candor lucis aeternae, speculum sine macula Dei maiestatis, et imago bonitatis illius (1), vitae integritate supernaeque gratiae donis praecellere putari poterit ? Nemo sane dubius animi erit, utrum Ioseph, iam civis Sanctorum et domesticus Dei in caelis, tantoque altius angelis evectus, quanto differentius prae illis nomen haereditavit (2), Ecclesiae totius custodiae praefici queat, cum ille vel degens in terris Solem ac Lunam, Christum videlicet ac Mariam, suum in tabernaculum recipere meruerit.

6. Si ergo Christus Ioseph, adhuc indutum veste peregrina (3), custodem habuit fidelissimum : quare Christus mysticus, idest Ecclesia veri Christi Sponsa, quae presso vestigio divinum hoc suum pone sequitur exemplar, eumdem Ioseph, iam in caelis amictum lumine sicut vestimento (4), Patronum non habebit ? Si Virgo Maria, tanto iugata Principi adhuc a longe aeterni Dei mansiones aspicienti et salutanti non acceptis repromissionibus (5), hunc ipsum tamquam virginitatis suae ducem venerabatur, quin catholica Ecclesia, Iesu Christi Sponsa Virginisque Mariae filia, virginitatis suae ducem Ioseph honorabit, cuius aeternum gloriae pondus agmina caelitum admirantur et colunt ? Consurge igitur, consurge, induere vestimentis gloriae tuae, Ierusalem (6), et divinum acclama Ioseph dicens : *Saltem amodo vocabo te : Pater meus ; dux virginitatis meae tu es* (7). Tu filiam tuam velut murus et antemurale custodias : tu despondeas me uni viro virginem castam exhibere Christo (8). Hortatur Christus exemplo, qui descendit cum eo, et venit Nazareth, et fuit subditus illi (9). Hortatur et verbo cum dicat : *Exemplum enim dedi vobis, ut quemadmodum*

(1) *Sap. VII.* 26. — (2) *Hebr. I* 4. — (3) *Sophon. I.* 8. — (4) *Ps.* 103. — (5) *Hebr. XI.* 13. — (6) *Is. LII.* 1. 2. — (7) *Ier. III.* 4 — (8) *II. Cor. XI.* 2. — (9) *Luc. II.* 51.

ego feci, ita et vos faciatis (1). Hortatur et Apostolus, qui ait: *Hoc enim sentite in vobis quod et in Christo Iesu* (2). Hortatur et discipulus quem diligebat Iesus, sic loquens: *Qui dicit se in ipso manere, debet, sicut ille ambulavit, et ipse ambulare* (3). Itaque custos vitis sit custos et palmitum; custos pastoris sit custos et ovium; custos primogeniti sit custos et multorum eius fratrum; custos viae, veritatis ac vitae et eorum sit custos qui viam hanc ingrediuntur, qui hanc veritatem exquirunt, qui vitam hanc studiose appetunt; custos magistri sit custos et discipulorum; custos Filii hominis custos sit et illorum qui ascendunt et descendunt super eum (4); custos Sponsi sit custos et Sponsae. Nec aliquis sit qui eum aut non satis providum, aut non satis vigilem custodem fore vereatur; dedit enim illi Deus sapientiam, et prudentiam nimis, et latitudinem cordis quasi arenam quae est in littore maris (5). Qui ergo custodivit petram, custodiat et Ecclesiam quae super illam aedificata est; qui custodivit principem pacis, custodiat et principatum qui est super humerum eius (6); qui custodivit montem, custodiat et domum Domini positam in vertice eius, ut fluant ad eam omnes gentes (7); qui custodivit sacerdotem et victimam, custodiat et templum quod sanctum est, Dei structura est, Dei aedificatio est, in quo ab ortu solis usque ad occasum sacrificatur et offertur nomini Dei oblatio munda (8); qui custodivit lumen ad revelationem gentium (9), custodiat et populos quibus olim ambulantibus in tenebris hoc lumen affulsit, et habitantibus in regione mortis iamdiu ortum est (10); qui custodivit episcopum animarum nostrarum (11), apostolum et pontificem confessionis nostrae (12) custodiat, et universum episcopatum eius, scilicet genus electum, regale sacerdotium, gentem sanctam, populum acquisitionis, immensam a Domino misericordiam consequutum (13).

7. Neque vero magnopere necesse nobis est contendere

(1) *Ioan. XIII.* 15. — (2) *Philipp. II.* 5. — (3) *I. Ioan. II.* 6. — (4) *Ioan I.* 51. — (5) *III. Reg. IV.* 29. — (6) *Is. IX.* 6. — (7) *Is. II.* 2. — (8) *Malach. I.* 11. — (9) *Luc. II.* 32. — (10) *Is. IX.* 2. — (11) *I. Petr. II.* 25. — (12) *Hebr. III.* 1. — (13) *I. Petr. II.* 9. 10. —

atque elaborare, ut sive ex sacris Scripturis, sive ex Traditione depromamus et aggeremus documenta, quibus hoc de quo loquimur congruum omnino esse luculenter pareat. Etenim Ecclesia ipsa catholica, etsi non patentius et expeditius, implicite tamen et abscondite Patriarcham nostrum supremi huius Patronatus honore dignum existimasse videtur. Et re vera beatissimum illa Ioseph, die eius festo, tamquam constitutum a Deo dominum domus suae et principem omnis possessionis suae commendat. Quaenam autem est domus Domini nisi Ecclesia catholica, quam quidem et Isaias ipse domum Domini appellat (1)? Quaenam eius possessio, nisi omnia mundi regna, quae tradita sunt Regi regum et Domino dominantium (2), rege Psalte dicente: *Postula a me et dabo tibi gentes haereditatem tuam, et possessionem tuam terminos terrae* (3)? Non ergo dignitas, qua sanctum nos Ioseph insigniri cupimus et optamus, tantum abest ut aequi iuris fines excedat, ut immo nondum tanti ac talis viri amplitudini respondeat. Nos minime petimus, ut Patriarcha noster Ecclesiae universae Dominus et omnis possessionis Christi Princeps declaretur; poscimus tantum atque flagitamus, ut Protector nominetur et Custos. Adde his, si placet, Romanam Ecclesiam sua in liturgia alterum Ioseph aegyptii regis Vicarium meminisse, eiusque plane admirabilem historiam ad nostrum Ioseph pulcherrime accommodasse. Sed quorsum accommodatio istaec? quorsum? Ut intelligere possimus (ni fallimur), quod Mariae Virginis Sponsum Christique Iesu Patrem toti christianae gentis in Aegypto tribulationum gementi plorantique suum Deus ipse Vicarium praedestinasset. Si secus, nullus foret huiusmodi accommodationi sensus nullaque vis: quod affirmare nonnisi temerarii hominis esset. At contra bellissimae huius allegoriae significatio non modo obvia est, sed et summe constat. Enimvero Pharao est velut umbra Christi, quia ille vice sua fungentem Ioseph venerabatur ut patrem, inquit Scriptura. *Qui fecit me quasi patrem Pharaonis, et dominum universae domus eius* (4). Ioseph filius Rachel

(1) *Is. II.* 2. — (2) *Apoc. XIX.* 16. — (3) *Psalm.* 2. — (4) *Gen. XLV.* 8.

figura est Ioseph nostri, quomodo regnum Aegypti divinum illud spirituale regnum significat quod Daniel praedixerat. *In diebus autem regnorum illorum suscitabit Deus caeli regnum, quod in aeternum non dissipabitur* (1). Igitur ex Ecclesiae ipsius sententia Christus beatum Ioseph constituit universi principatus sui Vicarium, dicens Pharaonis ore: *Numquid sapientiorem et consimilem tui invenire potero? Tu eris super domum meam, et ad tui oris imperium cunctus populus obediet: uno tantum regni solio te praecedam* (2). Nos itaque his quasi praesidiis freti ac muniti summam Vaticanae Synodi auctoritatem audemus invocare, ut divino Ioseph tamquam christiani populi *Proregi* honorem illum et cultum distincte et explicite decernat, quem iam Ecclesia ubique terrarum eidem ipsi etsi involute solum et implicite deferebat.

8. Hic vero non negamus posse ab aliquo nobis obiici, quod sanctus Michael Archangelus nonnumquam Ecclesiae Patronus audiat, uti in festo Apparitionis illius videre est; prima enim secundi nocturni lectio haec habet verba: *Eum ut olim synagoga Iudaeorum, sic nunc custodem et patronum Dei veneratur Ecclesia.* Sed facilis est responsio. Primo: quilibet per se absque ullo negotio nosse potest, quod adducta Breviarii verba vigilantissimi illius Archangeli indicent ministerium, quem Deus strenuum defensorem effecit formidatumque vindicem totius Ecclesiae catholicae, contra quam draco ille magnus, serpens antiquus, qui vocatur diabolus et satanas, universum orbem decipiens, angelos suos in aciem educit (3). Hoc autem sensu vel ipsi Imperatores Germani post Carolum Magnum Ecclesiae Dei praestites, patroni, vindicesque fuisse dicendi sunt. Et in *sessione* XXV, *cap. 20 de Reform.* Oecumenica Synodus Tridentina saeculares Principes catholicam fidem profitentes a Deo sanctae Fidei Ecclesiaeque protectores destinatos affirmavit. Secundo: quod Ecclesia numquam veri patronatus honores divo Archangelo Michaeli statuerit, ex Apostolicis Constitutionibus erui facile potest, cum illae contra-

(1) *Dan. II.* 44. — (2) *Gen. XLI.* 39. 40 — (3) *Apoc. XII.* 9.

rium potius afferre videantur. Etenim vi Decreti sacrae Congregationis 27 maii 1628 *Officium Patroni Principalis loci tenentur omnes recitare sub duplici primae classis: clerici quidem saeculares cum octava, regulares autem sine octava.* Et sic pluries, ait Ferraris, in aliis decretis (1). Insuper iuxta Constitutionem *Universa* Urbani VIII §. 2 tale festum dicitur esse *de praecepto observandum* (2). Nunc petimus qua de causa, si Michael habetur ut verus Ecclesiae Patronus, huiusce Archangeli festum nec praeceptivum sit, nec duplici primae classis ritu gaudeat, nec habeat octavam? Scimus equidem responderi nobis posse, sanctum caelestis militiae Ducem primarium haud esse Patronum. Sed nos reponimus, in Christi Ecclesia locum ergo adhuc exstare assignandum Patrono principi, de quo proprie et unice hic agimus. Multo porro minus refragando quis dicat, duos Apostolorum Principes Petrum ac Paulum primos esse Ecclesiae catholicae Patronos, cum Benedictus XIV aperte iam declaraverit Petrum Apostolum et Paulum Doctorem gentium denominandos esse Patronos principales urbis tantum Romae, non universae Ecclesiae, quod videtur prorsus inauditum (3).

9. Nec maior quidem oritur difficultas ex Urbani VIII super electione Patronorum Decreto, quippe quod propositioni nostrae quodammodo adversari videatur. Nam secundum istius Decreti verba, dati die 23 martii anni 1630, non satis esse videtur Episcoporum consensus, ut rite sanctus Ioseph Ecclesiae universae Patronus proclametur, cum accedere debeat et suffragium totius cleri ac populi christiani, quos certe nemo e postulatoribus ulla ratione scisciatus est. Sed tamen nihil hocce Decretum id quod asserimus infirmat. Nemini enim id unquam in mentem venisse credimus, quod sacra Rituum Congregatio Statuto illo Conciliis Oecumenicis legem imponere voluerit. Nam cum totius christiani orbis Pastores, et una beatissimi Apostolorum Principis Successor in consilium conveniunt, tum praesto revera adest potestatis illa, ut inquiunt,

(1) *Patroni Sancti num.* 15. — (2) *Ibid. num.* 6. — (3) *Ibid. num.* 18.

plenitudo, quam sanguinis sui pretio Christus Iesus Ecclesiae comparavit. Unde nullo prorsus negotio Papa cunctique Episcopi a quatuor mundi plagis in unum congregati huiusmodi Decreto (si obesset) derogare possunt. Deinde, quod vel magis interest nostra, venerabilis Dei servus Innocentius Pontifex XI die 17 augusti anni 1678 sancti Ioseph quatenus omnium sinensium Missionum Patroni electionem, quae per Episcopos Vicarios Apostolicos a Romana Sede apud Sinas constitutos facta fuerat, ex consilii Congregationis de Propaganda Fide sententia ratam duxit, etiamsi Apostolicae huiusce Pontificis Litterae nullam consensus cleri ac populi habeant mentionem. Ad haec piissimus idem Innocentius XI et sine huiusmodi consensu, sicuti ex Apostolicis eius Litteris die 19 aprilis anni 1679 datis apparet, quam electionem Hispaniarum rex Carolus II fecerat de divo Ioseph in regnorum suorum Patronum, firmavit ac sanxit. Quod si hanc concessionem hic ipse Papa posteriore anno rescidit et refixit, non ignoramus rem esse tribuendam Francisco cuidam Iobae generali omnium Ecclesiarum cathedralium totiusque status ecclesiastici regnorum Hispaniae Agenti et Procuratori, qui (proh dolor!) omnibus precibus oravit, ut sacra Rituum Congregatio Innocentianum Breve irritum ex se esse et pro infecto habendum declararet. Quamobrem Benedictus XIV concessionem illam abscissam atque abrogatam fuisse dicit non quidem consensus cleri populique defectu, sed nimis aperta Ecclesiarum cathedralium oppositione, quam nos inconsultam saltem appellare non dubitamus, quamque diu luxit Hispania et adhuc luget. Incredibile enim dictu acerbumque auditu est quot calamitates, quot miseriae, quot aerumnae, post mortem ipsius Caroli II vere nefastam, iam florentissima Hispaniarum regna oppresserint atque opprimant! Caruit Hispania beatissimi Patriarchae Ioseph Patronatu, ut divi Iacobi apostoli honori ac praelationi consuleret: sed eheu quomodo sedet sola natio illa plena populo! Facta est quasi vidua domina gentium; princeps provinciarum, aere alieno supra fidem gravata, facta est sub tributo (1). Viae eius

(1) *Ier. in Threnis.*

lugent eo quod non sint qui veniant ad solemnitatem: omnes portae eius destructae, sacerdotes eius gementes, virgines eius squalidae, et ipsa oppressa amaritudine. Hispaniae Patronus defuit quem Regis austriacae stirpis ultimi Romanique Pontificis Innocentii pietas, teterrimo imminente bello *a successione* dicto, ei veluti salutis tabulam obtulerat; et nunc post tam longam et atram malorum seriem tamque diram subiectarum regionum rebellionem egressus est ab illa omnis decor eius: facti sunt principes eius velut arietes non invenientes pascua, et abierunt absque fortitudine ante faciem subsequentis. Hispania, Ioseph non protecta pallio, vidit gentes ingressas sanctuarium suum, de quibus praeceperat Deus ne intrarent in Ecclesiam. Omnis populus eius gemens; filii eius inclyti, et amicti auro primo, nunc reputati sunt in vasa testea, opus manuum figuli. Hispania, praesentissimo hoc Ioseph patrocinio haud fulta, impias ineunte hoc ipso saeculo tot machinas doluit ac flevit, quibus personata Imperatoris Galliarum ambitio dilaceratis eius provinciis Ioseph alterum (perquam longe alium ac nostrum) obtrusit. Certe nos tam inclytam piamque nationem, si beatissimae Mariae Sponsum habuisset Patronum, non miseriis, non luctu, non moerore, non malis denique omnibus obrui, premi ac paene confici potuisse credimus.

10. Itaque ex hisce argumentis et rationibus admodum paucis, quae cum aliis plerisque in maiori Opere nostro fuse lateque exponuntur, plane unicuique liquet, Vaticanos Patres rem Oecumenica Synodo omnino dignam, maximis potissimum istis christianae reipublicae temporibus, esse facturos, si Mariae Coniux Christique Pater Ioseph amplissimo per ipsos Ecclesiae catholicae Patroni ac Vindicis honore donetur. Si enim beata Rosa limana, nondum in Sanctorum numerum cooptata, a Clemente x regionum orarumque latissimarum principalis Patrona electa et constituta fuit: quid est cur sanctissimus Ioseph Verbi custos ac Deiparae patronus, quem et mundi columen (1) appellat Ecclesia, totius orbis christiani Protector non sit eligendus?

(1) *Hymn. ad Matut.*

11. Sed iam inquirendum nobis est, num expediat ut vera atque ineffabilis paternitas Ioseph *affectiva*, cuius luculentissimum testimonium in Evangelio habemus, aperte cum Augustino asseratur, eademque doctrina istaec in Vaticanae Synodi novos divo Ioseph honores assignaturae Decreto aut includatur, aut indirecte saltem obfirmetur. Priusquam autem sententiam nostram in medium afferamus, sapientissimi consilium Dei, cuius magnificata sunt opera, nimisque profundae factae sunt cogitationes (1), operae pretium est admirari. Familia Sacra in humili nostrae religionis exordio, ut crudelissimi Herodis regis iram atque astutiam effugeret, monente Angelo, in Aegyptum Africae provinciam (famosam id temporis idololatriae et absurdissimorum errorum omnium sedem) repente se se proripuit; ibique Dominus eam cibavit pane lacrymarum, et potum dedit illi in lacrymis in mensura (2). Inscrutabilis autem Dei sapientia iam statuerat, ut tria generalia congregarentur Concilia (Nicaeense, Ephesium, Vaticanum), quae, suo quodque tempore, Iesu Christi, Mariae Virginis, Divique Ioseph honorem gravissime et verissime defenderent, Patribus tribus afris, Cyrillo scilicet, Athanasio et Augustino, ad hoc designatis: qui grati animi ergo, universae Africae nomine, tot incommoda, tot labores, tot curas ac sollicitudines divinorum eius Hospitum aeternis ingenii sui monimentis et ausibus compensarent. Et re quidem vera Nicaena Synodus Athanasium, qui Verbum ac Patrem unius esse eiusdemque substantiae firmissime asseverabat, admirans audiit. Ephesina Cyrillum, qui nefariam impii Nestorii haeresim magno impetu oppugnabat, praesidem dignissimum habuit, istoque fortissimo atque strenuissimo duce Mariam *Theotocon* definivit. Vaticana vero summum Augustinum (quem in abditissimis religionis nostrae mysteriis perspicaciorem ceteris Patribus esse nemo unus inficiatur) pro beatissimo Ioseph advocatum agere stupebit.

12. Norunt omnes doctissimum sanctissimumque Cyrillum Patriarcham Alexandrinum duodecim *anathematismis*

(1) *Psalm.* 91. 5. — (2) *Psalm.* 79. 6.

tamquam inexpugnabilibus formulis contra Nestorianos, perfidos Deiparae osores, catholicum divinae Maternitatis dogma exposuisse. Nos quoque doctrinam, quae Ioseph paternitatem tuetur, ipsis divi Augustini verbis utentes, duodecim pariter formulis quasi totidem validissimis propugnaculis defendemus. Atque ut nemo huiusmodi doctrinam sive ex dubiis, sive ex subdititiis, sive ex interpolatis paginis desumptam atque ideo ab Augustino abiudicandam esse suspicari possit, eam nos ex certissimis Doctoris hipponensis libris, post illorum recensionem a Lovaniensibus theologis factam, opera iterum studioque monachorum Ordinis divi Benedicti e Congregatione sancti Mauri ad unguem castigatis depromere ac transcribere voluimus. En ecce tanti viri tantique Patris verba.

Propugnaculum I. « Exsequitur ergo humanam generationem Christi Matthaeus, ab Abraham generatores commemorans, quos perducit ad Ioseph virum Mariae, de qua natus est Iesus. Neque enim fas erat ut ob hoc eum a coniugio Mariae separandum putaret, quod non ex eius concubitu, sed virgo peperit Christum. Hoc enim exemplo magnifice insinuatur fidelibus coniugatis, etiam servata pari consensu continentia, posse permanere vocarique coniugium, non permixto corporis sexu, sed custodito mentis affectu : praesertim quia nasci eis etiam filius potuit sine ullo complexu carnali, qui propter solos gignendos filios adhibendus est. Neque enim propterea non erat appellandus Ioseph pater Christi, quia non eum concumbendo genuerat, quandoquidem recte pater esset etiam eius quem non ex sua coniuge procreatum, aliundé adoptasset (1) ».

II. « Putabatur quidem Christus etiam aliter filius Ioseph, tamquam ex eius omnino carne progenitus ; sed ab eis hoc putabatur, quos Mariae latebat virginitas. Nam Lucas ait: *Et ipse Iesus erat incipiens quasi annorum triginta, ut putabatur, filius Ioseph* (2). Qui tamen Lucas non eius parentem solam Mariam, sed ambos parentes eius appellare minime dubitavit, ubi ait: *Puer autem crescebat*

(1) *De Consens. Evang lib. 2, cap. 1. num. 2.* — (2) *Luc. III. 23.*

et confortabatur plenus sapientia, et gratia Dei erat in illo. Et ibant parentes eius per omnes annos in Ierusalem in die solemni Paschae (1). Sed ne quisquam hic parentes consanguineos potius Mariae cum ipsa matre eius intelligendos putet, quid ad illud respondebit quod ipse item Lucas superius dixit: *Et erat pater eius et mater mirantes super iis quae dicebantur de illo* (2)? Cum igitur ipse narret, non ex concubitu Ioseph, sed ex Maria Virgine natum Christum: unde eum patrem eius appellat, nisi quia et virum Mariae recte intelligimus sine commixtione carnis, ipsa copulatione coniugii; et ob hoc etiam Christi patrem multo coniunctius, qui ex eius coniuge natus sit, quam si esset aliunde adoptatus? Unde manifestum est illud quod ait: *Ut putabatur, filius Ioseph:* propter illos dixisse qui eum ex Ioseph, sicut alii homines nascuntur, natum arbitrabantur (3) ».

III. « Ac per hoc, etiam si demonstrare aliquis posset, Mariam ex David nullam consanguinitatis originem ducere, sat erat secundum istam rationem accipere Christum filium David, qua ratione etiam Ioseph pater eius recte appellatus est: quanto magis, cum evidenter dicat apostolus Paulus ex semine David secundum carnem Christum, ipsam quoque Mariam de stirpe David aliquam consanguinitatem duxisse, dubitare utique non debemus (4) ».

IV. « Ei quoque iubetur, ut puero nomen imponat, quamvis non de semine suo nato. *Pariet*, inquit, *filium, et vocabis nomen eius Iesum.* Sed hoc intendit Scriptura, quod non sit natus de semine Ioseph, cum sollicito, unde esset illa gravis utero, dicitur: *De Spiritu Sancto est.* Et tamen paterna ei non aufertur auctoritas, cum iubetur puero nomen imponere. Denique et ipsa Virgo Maria bene sibi conscia quod non ex eius complexu et concubitu conceperit Christum, tamen eum patrem Christi dicit (5) ».

V. « Invenitur ergo in templo, et dicit ei mater eius: *Quid nobis fecisti sic? Pater tuus et ego dolentes quae-*

(1) *Luc. II.* 40. 41. — (2) *Ibid.* 33. — (3) *Aug. ibid. num.* 3. — (4) *Ibid. cap.* 2, *num.* 4. — (5) *Aug. Serm.* 31, *cap.* 10, *num.* 16. —

rebamus te. Et ille: *Non sciebatis quia oportet me in his esse quae Patris mei sunt* (1)? Hoc propterea dixit, quia Filius Dei erat in templo Dei. Templum enim illud non erat Ioseph, sed Dei. Ecce, inquit aliquis, non se concessit esse filium Ioseph. Attendite aliquando patientius, fratres, propter angustias sermonis, ut sermoni sufficiant. Cum dixisset Maria: *Pater tuus et ego dolentes quaerebamus te:* ille respondit: *Non sciebatis quia in his oportet me esse quae Patris mei sunt?* Non enim sic se volebat esse filium illorum, ut non intelligeretur Filius Dei. Filius enim Dei, semper Filius Dei, creans illos ipsos. Filius autem hominis ex tempore, natus de virgine sine semine maritali, parentem tamen habebat utrumque. Unde hoc probamus? Iam dixit Maria: *Pater tuus et ego dolentes quaerebamus te* (2) ».

VI. « Quod ergo respondet Dominus Iesus Christus: *Oportebat me esse in his quae Patris mei sunt,* non sic indicat Patrem Deum, ut neget Patrem Ioseph. Unde hoc probamus? Secundum Scripturam quae sic ait: *Et dixit ad illos: Non sciebatis quia in his quae Patris mei sunt oportet me esse? Illi autem non intellexerunt quid illis locutus est. Et cum descendisset cum illis, venit Nazareth, et erat subditus illis* (3). Non dixit: Erat subditus matri, aut erat subditus ei: sed *erat,* inquit, *subditus illis.* Quibus subditus erat? Nonne parentibus? Ambo parentes erant, quibus ille subditus erat, ea dignatione qua filius hominis erat (4) ».

VII. « Videtis ergo, fratres, quod non ita dixerit: *Oportet me in his quae Patris mei sunt esse:* ut intelligeremus quasi dictum: Vos non estis parentes mei. Sed parentes illi temporaliter, Pater ille sempiterne. Parentes illi filii hominis, Pater ille Verbi et Sapientiae suae, Pater Virtutis suae, per quam cuncta formavit. Si per illam formantur universa, quae attingit a fine usque ad finem fortiter, et disponit omnia suaviter (5), per Filium Dei et illi formati sunt, quibus idem ipse postea filius hominis subderetur (6) ».

(1) *Luc. II,* 42. 49. — (2) *Aug. ibid. num.* 17. — (3) *Luc. II,* 49. 51. — (4) *Aug. ibid. cap. XI, num.* 19. — (5) *Sap. VIII,* 1. — (6) *Aug. ibid. cap.* 12, *num.* 20.

VIII. « Non itaque propterea non fuit pater Ioseph, quia cum matre Domini non concubuit, quasi uxorem libido faciat, et non caritas coniugalis. Intendat sanctitas vestra. Dicturus erat post aliquantum temporis, Apostolus Christi in Ecclesia: *Reliquum est, ut qui habent uxores, tamquam non habentes sint* (1) ».

IX. « At ubi natus est ipse Rex omnium gentium, coepit dignitas virginalis a Matre Domini, quae et filium habere meruit, et corrumpi non meruit. Sicut ergo erat illud coniugium, et sine ulla corruptione coniugium: sic quod caste uxor peperit, cur non caste maritus acciperet? Sicut enim caste coniux illa, sic ille caste maritus: et sicut illa caste mater, sic ille caste pater. Qui ergo dicit: Non debuit dici pater, quia non sic genuerat filium: libidinem quaerit in procreandis filiis, non caritatis affectum. Melius ille, quod alius carne implere desiderat, animo implebat. Nam et qui adoptant filios, castius eos corde gignunt, quos carne non possunt. Videte, fratres, videte iura adoptionis, quomodo fit homo filius cuius semine natus non est; ut plus in eo iuris habeat voluntas adoptantis, quam natura gignentis. Ita ergo non solum debuit esse pater Ioseph, sed maxime debuit (2) ».

X. « Iam vero illud quia movere non debet, quare per Ioseph et non per Mariam generationes numerentur, satis dictum est: quia sicut illa sine carnali concupiscentia mater, sic ille sine carnali commixtione pater. Per illum ergo descendant et per illum ascendant generationes. Nec eum propterea separemus, quia defuit carnalis concupiscentia. Maior puritas confirmet paternitatem: ne ipsa sancta Maria nos reprehendat. Illa enim nomen suum praeponere noluit marito suo; sed dixit: *Pater tuus et ego dolentes quaerebamus te.* Non ergo faciant perversi murmuratores, quod coniux casta non fecit. Numeremus ergo per Ioseph: quia sicut caste maritus, sic caste pater est. Sed praeponamus virum feminae ordine naturae et legis Dei. Nam si remoto illo illam constituamus, dicit ille, et recte dicit: Quare me separastis? Quare non per me generationes vel ascendunt,

(1) *Ibid. cap.* 15, *num.* 21. — (2) *Ibid. cap.* 16, *num* 26.

vel descendant? An dicitur ei: Quia non tu genuisti opere carnis tuae? Sed respondebit: Numquid et illa opere carnis suae peperit? Quod Spiritus Sanctus operatus est, utrisque operatus est (1) ».

XI. « *Cum esset,* inquit, *homo iustus.* Iustus ergo vir, iusta femina. Spiritus Sanctus in amborum iustitia requiescens, ambobus filium dedit. Sed in eo sexu quem parere decebat, operatus est hoc, quod etiam marito nasceretur. Itaque ambobus dicit angelus, ut puero nomen imponant; ubi parentum declaratur auctoritas. Nam et Zacharias cum adhuc mutus esset, filio nato mater nomen imponebat. Et cum illi qui aderant innuerent patri quid eum vellet vocari, acceptis pugillaribus hoc scripsit, quod illa iam dixerat (2). Dicitur et Mariae: *Ecce concipies filium, et vocabis nomen eius Iesum* (3): dicitur etiam ad Ioseph: *Ioseph, fili David, ne metueris accipere Mariam coniugem tuam. Quod enim in ea natum est, de Spiritu Sancto est. Pariet autem filium, et vocabis nomen eius Iesum: hic salvabit populum suum a peccatis eorum* (4). Dicitur etiam: *Et peperit ei filium* (5): ubi omnino pater non carne, sed caritate firmatur. Sic ergo pater sicuti est (6) ».

XII. « Cautissime enim Evangelistae et prudentissime per illum numerant, sive Matthaeus descendens ab Abraham usque ad Christum, sive Lucas ascendens a Christo per Abraham usque ad Deum. Ille descendens numerat, ille ascendens, ambo per Ioseph. Quare? Quia pater. Quare pater? Quia tanto firmius pater, quanto castius pater. Aliter quidem putabatur esse pater Domini nostri Iesu Christi, scilicet sicut ceteri patres carne generantes, non solo spirituali affectu liberos suscipientes. Nam dixit et Lucas: *Qui putabatur esse pater Iesu.* Quare putabatur? Quia humana putatio et existimatio illuc ferebatur quod solet ab hominibus fieri. Non ergo de semine Ioseph Dominus, quamvis hoc putaretur: et tamen pietati et caritati Ioseph natus est de Maria Virgine filius, idemque Filius Dei (7) ».

13. Igitur iuxta divi Augustini mentem, quae etiam ex

(1) *Ibid. cap.* 20. *num.* 30. — (2) *Luc. I.* 60. 63. — (3) *Ibid.* 31. (4) *Matth. I.* 20. 21. — (5) *Luc. II.* 7. — (6) *Aug. ibid.* — (7) *Aug. ibid.*

libris *de Nupt. et Concup.* patet (1), Iesus Christus ita fuit filius Ioseph, ut hac una de causa filius quoque David esse potuerit, etiamsi Virgo Maria neque de tribu Iuda neque de Regis Vatis progenie descendisset; et Ioseph praestantiorem coniunctioremque habuit paternitatem, quam si lege Christum sibi in filium adoptasset; perversique murmuratores (mirum dictu, ut sic hipponensis Doctor loquatur!) ii vocandi sunt qui ineffabilem hanc paternitatem inficiantur. Huiusmodi porro doctrinae, quae prorsus evangelica appellari potest, tum ante, tum post Augustinum quot praeclarissimi subscripsere viri! Nos honoris ac veritatis gratia nominamus hoc loco Cyrillum Ierosolymitanum, Ioannem Chrysostomum, Ioannem Damascenum, Venerabilem Bedam, Paschasium Ratbertum, Cancellarium Gersonium, Bernardinum Senensem, Alphonsum Salmeronem, Franciscum Suarez, Cornelium A Lapide, Guilielmum Estium, Carolum Stengelium, Ioannem Sylveiram, Natalem Alexandrum, Olierium seminarii sancti Sulpicii fundatorem, Iacobum Benignum Bossuet, Iosephum Antonium Patrignani, Ignatium Hiacynthum Graveson, Benedictum XIV, Antonium Sandini, Ioachim Ventura, Huguet e Societate Mariae; multosque alios, quos omnes nemo sane est qui tam facile subcenturiet, taciti praeterimus, ut in ampliori Opere nostro videre est. Hinc si quis forte doctrinam huiusmodi, pro qua theologicis argumentis acerrime propugnamus, tamquam *novam*, aut quod peius esset, rationi divinaeque fidei abhorrentem arguerit vel improbarit, videat istic in qualem ac quantum errorem inciderit!

14. Num vero sancti Augustini doctrinam sive sacrae liturgiae, sive decreto quo Vaticana Synodus beatum Ioseph Ecclesiae totius Patronum honoret inseri conducat, hoc ex argumentis, quae breviter hic lectori nobis benevolo subiicimus, deduci potest. 1. Praecelsa Ioseph qua veri Patris Christi dignitas in sacris Scripturis palam atque aperte continetur (ut Augustinus gravissimis ac luce clarioribus verbis et sententiis ostendit), et quodammodo etiam per

(1) *Lib. I. cap.* 11, *num.* 12.

Ecclesiae Traditionem ad nos usque pervenisse censenda est. Quin immo nos dicere audemus, Immaculatae Virginis Mariae Conceptionis dogma, quod quidem secundum Summi Pontificis definitionem fuit a Deo ipso revelatum, nusquam nec in ipsis divinis Libris, nec in venerandae Traditionis monumentis sic manifeste et quasi ad verbum, ut Ioseph paternitatem, adfirmatum fuisse. 2. Ioseph Patronatus ex ineffabili tanti huius Patriarchae paternitate per se ipse et prope necessario derivatur, quemadmodum effectus a causa, humor a fonte, arbor a radice, consectaria a suis principiis. Nam paene unum idemque sonat Patronus Ecclesiae ac Pater Christi, tutor membrorum et custos Capitis; atque ut patroni nomen originem ducit a patre, sic patronatus dignitas a paternitate procedit. Cur ergo effectus in onore habebitur, et causa in oblivione iacebit? Cur arbor erit in luce, et radix in tenebris? 3. Praeterea huiuscemodi Paternitas multo cetera Ioseph munera anteit et privilegia, ita ut vere in tanto hoc viro dicenda sit id quo maius cogitari nequeat. Et velut in Maria Virgine maternitas divina longe lateque magna cuncta praetergreditur quae illi fecit Qui potens est (1), sic in castissimo eiusdem Deiparae Sponso, omnia summa caelesti gratia comite consequuto, divina paternitas maxime elucet aeternumque lucebit. Etenim dignitas Patroni ab excellentia desumitur Ecclesiae, quam Christus dilexit se ipsum tradens pro ea (2); et dignitas Sponsi a praestantia Mariae Virginis (quae, ait divus Thomas, quamdam habet infinitatem) rationem ducit. At dignitas Patris vere magna vereque ineffabilis (ut sancti Leonis Magni verbis utamur) super omnium creaturarum terrestrium et caelestium dignitatem conscendit, supergressura angelicos ordines et ultra Sanctorum altitudines elevanda: nec ullis sublimitatibus modum suae provectionis habitura nisi, aeterni Patris recepta consessu, illius gloriae societur in throno, cuius dignitati copulatur in Filio. Itaque si Vaticana Synodus divum Ioseph sublimi Ecclesiae candelabro imponi concesserit, ut ardens et lucens in domo Dei videat omnes gentes exultare in luce eius (3):

(1) *Luc. I*, 49. — (2) *Eph. V*, 25. — (3) *Ioan. V*, 35.

quomodo tantum dignitatis pondus, quod est Paternitas, silentio erit praetermissura ? Nil ergo apparet omnino unde istiusmodi Paternitas et in Concilii Vaticani decreto, de quo loquimur, non proferatur, et in Officio, quod Sedis Apostolicae iudicio humillime uti debebamus subiecimus, latius etiam haud pateat. Sed de hoc satis.

15. Restat iam ut investigemus, possit ne asseveratione aliqua, idest ratione saltem indirecta affirmari, quod Patriarcha noster Sanctis omnibus tum veteris tum novi Testamenti antecellat. At hic, fatemur, duae statim res occurrunt quae impensius nobis adversari in prima fronte videntur. Una est laus illa maxima quam Iesus Christus Praecursori suo tribuit hisce verbis : *Amen dico vobis, non surrexit inter natos mulierum maior Ioanne Baptista* (1). Iuxta quam Hominis-Dei sententiam natali eiusdem Praecursoris dic canit Ecclesia :

Non fuit vasti spatium per orbis
Sanctior quisquam genitus Ioanne,
Qui nefas saecli meruit lavantem
Tingere lymphis (2).

Haec utique verba Christi etsi magni momenti sint, minime tamen simplicia et absoluta haberi debent. Etenim ipse Christus, nulla mora interposita, subiecit : *Qui autem minor est in regno caelorum, maior est illo :* quod quidem dictum cum hoc altero eiusdem Filii Dei : *Qui maior est in vobis, fiat sicut minor* (3)*:* praeclare congruit, et cohaeret. Alius ergo potuit, Evangelio ipso testante, maior esse Ioanne Baptista. Cur autem divinus Ioseph noster dicendus non erit ex illis *minoribus* unus, de quibus Aeterna Sapientia loquitur ? Neque dicas Christum Dominum aut de se ipso, aut de angelis, aut de beatis in regno Dei degentibus esse locutum. Nam quod ad beatos attinet, Christus loquitur de *praesenti*, quando nullus ex filiis Adam aeternum gloriae pondus assecutus fuerat. Nec de angelis loqui potuit, quia exceptio eiusdem esse debet ordinis, ad quem spectat sententia, quae Ioannem cum *natis mulierum* comparat. Multo minus Filius Dei dicere potuit, se esse maiorem Ioan-

(1) *Matth. XI*, 11. — (2) *Hymn. Matut.* — (3) *Luc. XXII*, 26.

ne, quem paulo ante celebraverat uti Angelum missum a Deo ante faciem suam; inepte enim addidisset, se ministro suo esse maiorem. Haec autem fusius in Opere nostro explicata legi possunt.

16. Adde, quod Benedictus XIV ipse affirmare non dubitat, elogium istud nullo modo excellentiae praestantiaeque nostri Ioseph officere posse, cum Christus Angelum suum Iustis novae legis, ad quam Ioseph ascribendus est, nequaquam praetulerit. Audiatur eruditissimus Pontifex: *Haud urgente illo Matthaei:* Amen dico vobis etc: *nec altero Lucae:* Dico enim vobis etc: *Sanctus etenim Ioseph ex supradictis ad novum pertinet Testamentum: sancti autem Ioannis Baptistae dignitas, qua praecellit ceteros, eminet supra universos, antecellit Prophetas, supergreditur Patriarchas, uti loquitur sanctus Augustinus* (1), *refertur ad Patres veteris Testamenti, quemadmodum post sanctum Hieronymum notavit Maldonatus in Matth.* XI *(sic scribens):* Breviter igitur et facile respondeo, Ioannem, quemadmodum Hieronymus docet, non cum omnibus, sed cum solis Sanctis veteris Testamenti comparari. *Confirmat Cornelius A Lapide in cit. cap.* XI *Matth. (haec et ipse scribens):* Tacite ergo Christus hic Ioannem vocat omnium maximum; alioquin enim non recte hic concluderet Ioannem esse plusquam prophetam, quod tamen probare intendit. Intellige hoc de hominibus veteris Testamenti, praecedentis scilicet saeculi usque ad Christum (2). Idem ipse doctissimus Papa hanc alibi explanationem confirmat dicens: *Adhaeret Tirinus ad hunc ipsum locum:* Agit hic Christus de hominibus veteris Testamenti, et praecedentium saeculorum, quibus omnibus praefertur hic Ioannes. *Et sanctus Hieronymus in comment. ad hunc ipsum textum Matthaei nedum admittit Christum loqui de Sanctis veteris Testamenti, sed insuper addit, sanctum Ioannem Baptistam in hoc loco non praeferri Sanctis veteris Testamenti, sed eis aequari, (scribens):* In eo quod dixit: Non surrexit maior Ioanne Baptista: non ceteris Prophetis et Patriarchis, cunctisque

(1) *Serm. I. in fest. s. Ioan. Bapt.* — (2) *Lib. 4, part. 2, cap. 20, n. 42.*

hominibus Ioannem praetulit, sed Ioannem ceteris exaequavit (1). Quid igitur ex his omnibus eruendum? Talibus ac tantis refragantibus viris hoc unum deduci posse arbitramur: praeconium scilicet a Christo Ioanni Baptistae tributum aut nihil propemodum contra nos evincere, aut dubiae saltem auctoritatis esse.

17. Quod porro, ex nostra quidem sententia, litem dirimit sunt ipsa Iesu Christi verba, quae ita ab altero evangelista afferuntur, ut plane constet quo sensu laudator divinus Ioannem natis quibusque mulierum proprie vereque praeposuerit. Usu enim venit, ut verba quaedam unius evangelistae obscuriora atque difficiliora captu verbis evangelistae alterius mirum in modum explicentur, sicuti apparet ex historia Centurionis, quem Matthaeus ad Iesum accessisse dixit, Lucas non accessisse affirmavit: quod videre est apud Augustinum (2). Re siquidem vera sanctus Lucas praeconia Christi verba ita retulit, ut in aperto sit Christum cunctis omnino hominibus Angelum suum quoad propheticam dignitatem anteposuisse. Ecce Filii Dei verba: *Dico enim vobis, maior inter natos mulierum propheta Ioanne Baptista nemo est* (3). Hic attendamus oportet epitheton illud *maior* adhaerere substantivo nomini *propheta,* cum sit hoc primi casus, ut in texto graeco atque Antonii Martini interpretatione cernere licet; ideoque, iuxta sanctum Lucam, Christus testatus est numquam et nusquam inter natos mulierum fuisse prophetam Ioanne Baptista maiorem. Ex quo fit, ut neque Moyses, neque David, neque Isaias, neque Daniel, neque iustus Simeon, neque ullus alius cum Zachariae filio prophetica dignitate exaequari possit. Quare divus Ambrosius labente saeculo quarto in sua Commentatione super Evangelium Lucae, quam non sine laude nec raro citat Augustinus, et cuius auctoritate Concilium generale VI fuit usum, haec quam aptissime scribebat: *Maior sane propheta, in quo finis est prophetarum. Maior propheta, quia multi cupierunt videre quem iste prophetavit, quem iste conspexit, quem iste baptizavit. Sed tamen numquid et illo*

(1) *Ibid. n.* 56. — (2) *De Consens. Evangel. l.* 2, *c.* 20, *n.* 49. — (3) *Luc. VII,* 28.

maior de quo Moyses dixit, quia Prophetam..... vobis suscitabit Dominus noster (1)? *Et de quo dixit:* Erit autem vobis anima quae non audierit prophetam illum exterminata de plebe (2)? *Si igitur Christus propheta, quomodo maior his omnibus? Numquid Christum prophetam negamus? Immo et Dominum prophetarum confitemur: Ioannem autem prophetam assero, et hunc omnibus dico esse maiorem, sed inter mulieris non virginis natos. Maior enim fuit iis quibus aequalis esse poterat sorte nascendi* (3). Quam sententiam sequuntur sanctus Hilarius, divus Augustinus, Cardinalis Hugo et Caietanus, uti videre est apud Sylveiram (4), et palam Ecclesia quoque Graeca in suis Menologiis profitetur, quemadmodum ex maiori Opere nostro patet.

18. Atque ita haud difficulter intelligitur quid causae sit, cur Dominus noster, vix dum Ioannem Baptistam laudaverat, subdiderit: *Qui autem minor est in regno caelorum, maior est illo.* Quippe etenim docere nos voluit, prophetiae spiritum in regno Dei nihil esse, adeo ut maximus inter prophetas possit esse vel minimus inter sanctos: quod ipsum apostolus Paulus repetit verbis istis: *Et si habuero prophetiam, et noverim mysteria omnia et omnem scientiam; caritatem autem non habuero, nihil sum* (5). Legimus igitur in Matthaeo, Praecursorem Domini maximum fuisse inter natos mulierum; sed verba Christi ab hoc evangelista relata non utique significant, multoque minus declarant qua in re Ioannes omnibus antesteterit. Lucas vero apertissime genus explicat dignitatis in quo Elisabeth filius cunctos homines praecessit. Penitus enim absurdum et impossibile foret, quod ex filiis Adam unus aliquis qualibet in dignitate supra omnes eminuisset. Sic exempli gratia Augustinus inter Patres, Thomas Aquinas inter Doctores, Vincentius Ferrerius inter thaumaturgos, Aligherius inter poetas, Christophorus Columbus inter navigatores (unusquisque in genere suo) principes et habentur et sunt; ita ut vere de hisce dici singillatim queat, ne-

(1) *Deut. XVIII*, 15. — (2) *Act. III*, 23. — (3) *Ambr. l. 5, n.* 109, 110 — (4) *Tom. 5, lib. 3, cap. 15, quaest. 25, num.* 156. — (5) *I. Cor. XII*, 2.

minem inter natos mulierum maiorem iisdem fuisse. Quod ergo plerique homines de Praecursoris sanctitate aut dignitate absolute dixisse Christum rati sunt, id ipsum Lucas de prophetico Ioannis spiritu locutum esse testatur. Sic etiam apud Matthaeum Christus ipse Praecursorem eumdem suum *nec manducare nec bibere* affirmare *absolute* videtur (1): cum Lucas contra eadem Matthaei verba sic explicet, ut *hoc unum* Christus asserere videatur, quod Ioannes Baptista *neque panem manducaret neque biberet vinum* (2).

19. Quod si tibi, candide lector, ex animo exuri nullo pacto possit, Ioannem ab Ecclesia haberi ceteris Sanctis sanctiorem, quemadmodum in hymno supradicto asseverare ipsa videtur, hoc insuper, Paulo Segneri seniore et Francisco Suarez ducibus ac magistris, animadvertito, sodes, quod cum de generalibus enunciatis agatur, quae unum aliquem ceteris omnibus anteponunt, ideoque sunt quodammodo odiosa, eximii putandi sunt qui suapte natura haudquaquam enunciatis illis possunt includi (3). Qua sane de causa oratores scriptoresque sacri prope innumeri Ioseph Ioanni praeferre neutiquam dubitarunt. Ex his unum dumtaxat adducere iuvabit, perdoctum nempe Cornelium A Lapide, qui explanando caput Matthaei primum sic loquitur: *Quinto, Ioseph fuit eximiae sanctitatis, ac eximiis naturae et gratiae dotibus a Deo instructus; adeoque illo saeculo non fuit vir sanctior aut dignior, cui Mater Dei desponsaretur: unde Franciscus Suarez probabiliter opinatur, Iosephum in gratia et gloria antecellere Apostolos et Ioannem Baptistam, quia eius officium illorum officio praecellebat; plus enim est esse Patrem et Rectorem Christi, quam Praeconem et Praecursorem eiusdem.*

20. At vero quae res altero loco nobis opponi potest, maiorem fortasse vim prae se ferre videtur. Nihil omnino certi, aiunt quidam, sive in Scripturis sanctis sive in venerabili Ecclesiae Traditione habemus, quod absolutam hanc divi Ioseph praestantiam commonstret. Re etenim vera Franciscus Suarez theologus ac doctor vere eximius scribit: *In hac igitur comparatione non existimo esse temerarium,*

(1) *Matth. XI*, 18. — (2) *Luc.. VII.* 33. — (3) *Serm.* 59, *n.* 4.

nec improbabile, sed pium potius et verisimile, si quis fortasse opinetur, Sanctum hunc reliquos omnes in gratia ac beatitudine antecellere, quia ex Scriptura nihil est quod repugnet, nec in Patribus aliquid reperio. Et si quae sunt generales locutiones, quibus Apostolos praeferre videantur, intelligi possunt facere comparationem regulariter cum aliis Sanctis, *et non excludere speciale aliquod privilegium, et praesertim loqui de posterioribus Sanctis, non vero de prioribus, et de his omnibus qui cum Christo vixerunt, et ipsis Apostolis contemporanei fuerunt. Nihilominus tamen cordati ac prudentis hominis esse existimo, nihil temere aut nimium asseveranter affirmare, quia revera ubi deest Scripturae auctoritas, aut Ecclesiae traditio, nulla potest esse sufficiens certitudo, in re praesertim ex divina electione ac praedestinatione pendente, cuius consilia inscrutabilia sunt et abditissima mysteria.* Haec pie, docte ac prudenter, ait Stengelius (1), scribit Suarez in tertiam partem divi Thomae (2), et verba granatensis theologi refert Benedictus ipse XIV in citato suo Opere, iisque subscribit (3). Qui Benedictus et rem magis magisque gravat ubi dicit: *Quandoquidem haec et similia luta undique dici non possunt, et sic deservire nequeunt, nisi forte concionatoribus, nullatenus autem vel ordinandis Officiis divinis, vel loco in litaniis statuendo, ut hac ipsa in re allatam doctrinam Suarez* perpendit Guyet (4). Et vero valeat (ecce Guyet verba) Suarez docta non minus quam pia in gratiam Sponsi sanctissimi Genitricis Dei Mariae argumentatio, sitque vere Ioseph Apostolis ut sanctitate, sic et gloria non impar. Subscribam ego eius opinioni, nec invitus inter concionandum profitebor: at non est privati cuiusquam ius illud de quo agimus praeferentiae in divinis Officiis ei tribuere, nisi accedente Ecclesiae auctoritate legitima (5).

21. Quid a nobis contra istaec reponendum erit? Haec eadem dicimus maioris esse forsitan speciei quam momenti;

(1) *Oper. cit. c.* 15. — (2) *Tom.* 2, *disput.* 8, *sect.* 2, *pag.* 81, *col.* 1. — (3) *Lib.* 4, *part.* 2, *cap.* 20, *n.* 45. — (4) *Lib.* 4, *cap.* 15, *quaest.* 5. — (5) *Ibid. n.* 55.

non quia sententia quae Ioseph praestantiam affirmat innumeros prope et equidem magnos defensores habeat, atque in praesentiarum communissima sit et usu ubique recepta, sed quia Ecclesia catholica huic ipsi excellentiae per suam liturgiam aperte favere non dubitat. Enim vero in Officio sancti Ioseph id habemus, quod ipse constitutus a Deo fuerit dominus domus suae et princeps omnis possessionis suae. Ecquisnam, ita nos bene Deus amet, de alio Sancto sive sit Praecursor Christi, sive Apostolus, sive martyr, talia dicere audeat? Habemus etiam in primo responsorio secundae lectionis primi nocturni istiusmodi Genesis verba: *Esuriente terra Aegypti, clamavit populus ad regem alimenta petens. Quibus ille respondit: Ite ad Ioseph, et quidquid vobis dixerit facite.* Quorsum haec, nisi plane declarent, esuriente universo orbe, atque christiano clamante populo ad regem suum Iesum Christum ut spiritalia alimenta petat, Christum hunc ipsum, regum terrae omnium Regem, respondere petentibus: *Ite ad Patrem meum Ioseph, et quidquid vobis dixerit facite?* De quonam alio Sancto, iterum interrogamus, talia leguntur? An de Ioanne Baptista? An de Apostolo Petro? An de Paulo? Non igitur Ecclesia tantam filiis suis in aliquem Sanctum fiduciam insinuat, quantam in divum Ioseph, quem et *columen mundi* appellat. Denique in lectione secunda primi nocturni haec alia legimus eiusdem Genesis verba, queis nulla sunt luculentiora: *Num invenire poterimus talem virum, qui spiritu Dei plenus sit? Dixit ergo ad Ioseph. Quia ostendit tibi Deus omnia quae locutus es, numquid sapientiorem et consimilem tui invenire potero? Tu eris super domum meam, et ad tui oris imperium cunctus populus obediet, uno tantum regni solio te praecedam* (1). Haec autem verba ad Ioseph aptata quidnam innuere dicenda sunt, praeter quam quod nos virum ullum invenire non posse, qui comparetur ei, qui spiritu Dei aeque ac ille plenus sit, qui sapientior eodem, aut consimilis illius habeatur? At docent praeterea, Ioseph ita fuisse toti Ecclesiae a Deo praepositum, ut ad eius oris imperium cunctus

(1) *Gen. XLI*, 38. 40.

populus christianus obediat, et Christus ipse *uno tantum regni solio illum praecedat*. Quid ad haec respondebit Carolus Guyetus, quem sane in liturgica scientia maximum quidem fatemur? Illi ergo concedimus, terque quaterque concedimus, *non esse privati cuiusquam* ius illud de quo agimus praeferentiae in divinis Officiis beato Ioseph tribuere; sed fidenter asserimus, iam pridem hac super re Ecclesiae auctoritatem accessisse, et quidem legitimam, et etiam peremptoriam iuxta illud Caelestini I effatum: *Legem credendi lex statuit supplicandi* (1). Nullum igitur nobis cum aliquo comparamus negotium, non cum Suarez, non cum Lambertinio, non cum Guyeto, sed Ecclesiae dumtaxat auctoritate freti, vel potius edocti firmissime asseveramus, Christum *uno tantum regni solio praecedere* Ioseph, cum *sapientiorem* neminem aut in caelo aut in terra *invenire* possimus, neque *consimilem*, qui toti sit populo christiano proponendus, ut *ad illius oris imperium obediat*. Nec urgeas dicendo: *Quomodo* ergo *nunc videt* Ecclesia quod neque in Scriptura neque in Traditione continetur? Nos enim continuo respondemus: *Quomodo autem nunc videat, nescimus; aut quis eius aperuit oculos nos nescimus. Ipsam interrogate: aetatem habet, ipsa de se loquatur* (2). Nihil ergo obesse videtur, quo minus Ecclesia huic faveat praelationi, quae non modo tot tantosque viros vere catholicos vereque pios propugnatores habet, sed etiam in fidelium mente et corde iamdiu radices altius egit, et nunc temporis maxime floret ac viget.

22. Enim vero nullum alium Sanctum christiani ardentiori studio ac devotione maiori colunt et venerantur, quam beatissimum Ioseph, ad quem tam quotidie, quam ubique videmus fieri obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus, pro regibus et omnibus qui in sublimitate sunt, ut quietam et tranquillam vitam agamus in omni pietate et castitate, hoc enim sciunt bonum esse et acceptum coram Salvatore nostro (3). Ecclesia ipsa, tantam admirata erga Ioseph pietatem atque

(1) *Epist. XXI. ad Episc. Gall. c. XI. apud Constant.* — (2) *Ioan. IX.* 21. — (3) *I. Timoth. II.* 2. 3.

observantiam, non potuit, paene diximus, quin thesaurum Indulgentiarum in eius honorem copiosius effunderet, ut ex earum recensione Romae approbata typisque excusa liquido patet. In qua nimirum recensione ne unam quidem reperire est indulgentiam quae ad sanctissimum Christi Praecursorem referat, pauciores vero, localesque prope omnes, ad augendam Petri ac Pauli Principum Apostolorum cultum concessas fuisse videmus. Nihil dicimus de aliis Sanctis. Sed quod ad Ioseph attinet, nec ipsum quoque Nomen eius, cuius laudandi gratia recitantur atque cantantur psalmi, indulgentia vacat. Item Ecclesia oratiunculas illas quas vocant *iaculatorias*, videlicet sequentes:

Gesù, Giuseppe e Maria, vi dono col mio cuore l' anima mia:

Gesù, Giuseppe e Maria, assistetemi nell' ultima agonia:

Gesù, Giuseppe e Maria, spiri in pace con Voi l' anima mia:

non solum probavit, verum etiam indulgentiis ditavit (1). Quid haec sibi volunt? Quare christiani omnes (vere *omnes* qui hoc nomine gloriantur) huic e Sanctis uni cor et animam dant dono laetantes? Quare trepido vitae exitu, ancipitique metu (et a morte corporis et ab aeternis poenis) Ioseph appellant, Ioseph obtestantur, Ioseph implorant? Quare in manibus Ioseph aeque, ut Iesu et Mariae, animam exhalare ardentissime cupiunt? Cur vero non in manibus Ioannis Baptistae, cur non Petri, cur non Pauli? Nemo quidem profecto, nemo unus asserere audebit aliquem ab Ecclesia coli Sanctum, in cuius honorem preces id genus ubi terrarum fundantur, et, sicut incensum in conspectu eius, dirigantur. Unde, hic quaerimus, unde maior haec fiducia? Unde in universo christianorum populo, a visibili ac supremo eorum Capite ad ultimam usque femellam, frequentior iste acriorque ardor nomen et opem Ioseph invocandi? Quis, urgemus etiam, quis tam inops mentis esse potest, ut Patriarchae huius praestantiam, quae alto Fidelium animo reposita manet, rem prorsus inanem aut

(2) 28 *april* 1807.

solido carentem fundamento susurret? Quis adeo retusi ingenii est, ut hoc tam mirabile devotionis incrementum in Patrem Christi Iesu ac Virginis Mariae Sponsum afflanti Spiritui Sancto non tribuat? Ipse enim Spiritus non longe est ab unoquoque nostrum, in ipso enim vivimus cum Ecclesia, movemur, et sumus (1). Igitur et concors populi catholici sensus ita Ioseph Sanctorum omnium maximum praedicat, ut Ecclesia, falli nescia, nullo modo hac de re ambigere possit. Quem quidem sensum et promunt et produnt tum ephemerides speciales quae in nostra Italia, in Gallia atque in Hispania ad cultum sanctissimi huius Patriarchae provehendum in maius evulgantur, tum sacrae Sodalitates propemodum innumerabiles tanti Patroni ductu et auspiciis institutae, tum piissimum exercitium illud quod nomine *Cultus perpetui* nuncupant, tum ea quae invaluit iam consuetudo mensem martium in Ioseph honorem dicandi, quaeque, Divo mirabiliter iuvante, crescit in dies, tum vel alia permulta, quae oculis ipsi nostris videmus, nostris auribus audimus, manibusque nostris contrectamus tamquam divinitus sancita, contestante Deo signis et portentis, et variis virtutibus, et Spiritus Sancti distributionibus secundum suam voluntatem (2). Unde quid vetat denique, concludendum nobis est, quid prohibet, quo minus in Concilii Vaticani decreto affirmari aliquatenus possit, Ioseph, Christi Filii Dei Patrem Virginisque Mariae Deiparae Sponsum, unum e minoribus in regno caelorum fuisse, quos Christus ipse Prophetae summo anteferre non dubitavit? Tunc laus erit unicuique a Deo. Ioannes enim Christi Praecursor prophetica dignitate inter natos mulierum praestantissimus affulgebit; Ioseph autem in regno Dei christiana humilitate minimus laudabitur: cuius aspectus inglorius fuit inter viros, et forma inter filios hominum, ut paterna sua manu novissimis saltem diebus hisce aspergat gentes multas. Sic humillimus servorum Dei exaltabitur, et elevabitur, et sublimis erit valde: quia quibus non est narratum de eo, viderunt, et qui non audierunt, contemplati sunt (3).

(1) *Act. XVII*, 27. 28. — (2) *Hebr. II*, 4. — (3) *Isai. LII*, 15. 15.

23. Quae cum ita sint, nos, qui in Domo Dei infimum tenemus locum, prece et obsecratione humili ac supplici ad Romanam Sedem Summumque Pontificem multorum fidelium nomine concurrimus, ut suo ipse certo sensu et vero iudicare velit, an proponi Synodo Vaticanae quaerendum expediat, sit nec ne Ioseph totius orbis christiani neque non regnorum omnium catholicam fidem profitentium Patronus in perpetuum declarandus. Atque ut vel clarius pateat quid nos a Iesu Christi Vicario et a Vaticanis Patribus obtinere quam maxime exoptemus, etiam atque etiam oramus, aut potius omnibus precibus obtestamur, ut quae sequuntur petitiones, quasque singulatim et in ordinem iidem nos demississime ac subiectissime exponimus, benigne excipiantur. Postulamus igitur passis manibus

Primo: ut Sacrosancta Oecumenica et Generalis Vaticana Synodus in Spiritu Sancto legitime congregata beato Ioseph eosdem omnino concedat honores, quos alteri iam Ioseph, qui figura illius fuerat, antiquus rex Pharao largiri voluit, cum eum Vicarium suum constituerit, fecerit ascendere super currum suum secundum, clamante praecone, ut omnes coram eo genuflecterent, et praepositum esse scirent universae terrae Aegypti, atque vocaverit Salvatorem mundi (1).

Secundo: ut eadem Sacrosancta Synodus auctoritate sua, cui nemo refragari potest, statuat, decernat, iubeat, ut catholici quotquot sunt beatum Ioseph eodem in perpetuum prosequantur honore, quem dioeceses, civitates, et oppida, provinciae, et regna Patronis propriis ac primis deferunt, solemni scilicet festo sub ritu duplici primae classis cum octava, cui addi potest etiam vigilia; adeo ut novum huiusmodi festum tum in Urbe cum in Orbe ea ipsa celebretur solemnitate ac pompa, qua sanctorum Apostolorum Petri et Pauli Romae, quaque in ceteris christiani orbis dioecesibus Patroni principalis festum frequentatur.

Tertio: ut eadem Sacrosancta Synodus in suo Decreto, ad novos honores beatum Ioseph evecturo, ratione saltem indirecta, iuxta sancti Augustini doctrinam Scripturis ac

(1) *Gen. XLI*, 43. 45.

Traditioni plane consentaneam, divinum hunc virum Patrem Iesu Christi verum et affectivum fuisse declaret. Tunc enim unicuique apertum erit atque perspicuum quare beatissimus Ioseph sit habendus Pater quoque fidelium omnium ac Patronus.

Quarto: ut eadem Sacrosancta Synodus in ipso suo Decreto, oblique minimum, id ratum habeat quod divus Ioseph Sanctis omnibus tam veteris quam novae legis praestiterit. Huiusmodi enim praestantiae sensus Ecclesiae catholicae apertissime favet, nullo sacrae Scripturae textu refragante, non paucis immo suffragantibus. Nam, cum nos per divinos Libros Ioseph vero nomine Patrem Iesu Christi ac beatissimae Deiparae Mariae Sponsum extitisse doceamur, rationi et fidei repugnare videtur quod aliquis alius sit, qui causa sive dignitatis sive sanctimoniae Filio Dei illiusque Matri propius quam Ioseph accedat.

Quinto: ut festivitas Patrocinii sancti Ioseph quem catholici in praesens ubique locorum, Pio IX iubente celebrant, in novi Patroni festum convertatur, eique anniversarius dies, quo desideratissimum de beati Ioseph Patronatu Decretum prodierit, assignetur. Ubi vero humillimae preces nostrae benignissime exaudiantur, postulamus, ut novum in Breviario Romano addatur Officium huic novae solemnitati consonum, ita ut cuncti Ecclesiae filii, cuiuscumque dioeceseos vel ordinis sint, omni prorsus privilegio aut exceptione silente, uno ore unoque animo divinum christiani orbis Auspicem ac Patronum beatum Ioseph venerentur et laudent.

Sexto: ut Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis, Episcopis et Abbatibus exemptis et Ministris, vel Superioribus, vel vicariis Generalibus cuiuslibet ordinis, congregationis et sodalitii amborum sexuum mandetur, die uno ad libita statuto ditionis suae dioeceses, ecclesiasticas provincias, religiosas familias, pia demum cuiusvis generis instituta beati Ioseph, maximi e filiis Adam, patronatui et custodiae solemniter in perpetuum secum ipsi dedant, huiusque deditionis actum et formam in proprio tabulario ad non perituram rei memoriam deponant.

Septimo: ut Sancta Sedes Romana beato Ioseph tum in Missa tum in Officio eos concedat speciales honores, quos iamdiu quibusdam religiosorum Ordinum Fundatoribus large effuseque donavit; statuendo scilicet I.° quod fiat commemoratio eius propria inter Sanctorum Suffragia in Officiis et Missis non duplicibus ab octava Epiphaniae usque ad Dominicam Passionis, et ab octava Pentecostes usque ad Adventum. II.° quod nomen eius adiiciatur Confessioni tam in Missa quam in Officio post nomen beatae Mariae Virginis hoc modo: *Confiteor Deo omnipotenti, beatae Mariae semper Virgini et Sancto Ioseph eius Sponso:* etc. *Ideo precor beatam Mariam semper Virginem et Sanctum Ioseph eius Sponsum:* etc. III.° quod Missa habeat Praefationem propriam, dicendam vel canendam toties quoties aliquod festum in beati Ioseph honorem agatur. Praeter haec precamur, supplicamus, exobsecramus, ut in Missa, quotiescumque de beata Maria Virgine fit extra Canonem mentio, beatus quoque eius Sponsus Ioseph nominetur.

Octavo: ut Summus Pontifex pro sua prudentia ac pietate, post quam a Vaticana Synodo Decretum de quo agimus factum fuerit, Apostolicam Constitutionem promulget, per quam supremos hosce honores beato Ioseph a Concilii Patribus concessos sanciat, et universis Christi fidelibus praecipiat, ut posthac atque in perpetuum eumdem beatum Ioseph sicuti catholicae Ecclesiae Patronum, regnorum omnium Protectorem, totiusque orbis terrae columen et Patrem colant et venerentur. Petimus etiam atque efflagitamus, ut a Pio IX (quem Deus Optimus Maximus diu nobis incolumem servet) Summi Pontifices in Litteris suis Apostolicis, qualiscumque tandem formae illae sint, post nomen beatae Virginis Mariae illico venerabile beati Ioseph Ecclesiae Custodis nomen invocare incipiant.

24. Si humillimae postulationes nostrae supplicesque preces a Sancta Sede Romana et a Vaticanis Patribus perbenigne exceptae ac penitus exauditae fuerint, Deo gratias agemus super inenarrabili dono eius (1), proximum

(1) *II. Cor. IX*, 15.

Ecclesiae triumphum a Pio IX in Bulla *Ineffabilis* apertissime praedictum bene ominati. Tunc nova temporum plenitudo a tanto Pontifice promissa ubique terrarum maturescere incipiet, quia, dum Ecclesia catholica in utero habens cruciatur ut pariat (1), exibit edictum ab Augusto Christi Vicario, ut describatur universus orbis in beati Ioseph honorem. Haec descriptio prima fiet Romae ab ipso Summo Ecclesiae Praeside, et postea ibunt omnes ut profiteantur singuli in suam civitatem (2). Quod si divino inscrutabili consilio statutum sit, ut incassum nostri fundantur labores, a Deo ter Optimo ac Maximo ardentissime precamur, ut seri saltem nepotes videant claritatem Ioseph et exsultent in vespertina luce eius. Pro certo enim habemus talem ac tantam esse futuram, ut de ea dici possit: quod oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit (3). Quod illis saltem si non nobis bonum, faustum, felix, fortunatumque sit!

(1) *Apoc. XII*, 2. — (2) *Luc. II*, 1. 3. — (3) *I. Cor. II*, 9.

AD PIUM IX

PONTIFICEM MAXIMUM

SUPPLEX ORATIO.

Beatissime Pater, Operis, cui titulus *San Giuseppe Patrono della Chiesa universale,* humillimus auctor, qui inter minimos catholicae Ecclesiae filios infimum certe locum tenet, postulationem istam, qualis illa cumque est, non tam pietati Tuae erga Ioseph, quam Tuae indulgentiae trepida manu committit. Stupuit ille inscrutabile super se Dei consilium, sedensque solitarius ac tacens laboriosum opus suscepit, quum magna esset in spe, fore ut Vaticani Patres una Tecum exaltent Ioseph in Ecclesia plebis, et in cathedra seniorum laudent eum. Decies et vicies, charta sumpta, stetit anxius, et sententias ac verba perpendit, libravit, ne pars vel minima, quasi amurcam exstillans, quodammodo exspumare videretur; ita ut totum opus fieret oleum purissimum sacris Tuis Vaticanorumque Patrum manibus in novam mundi lucernam effundendum. Eia age, Sanctissime ac rerum dulcissime Pater, propter Sion non taceas, et propter Ierusalem non quiescas, donec egrediatur ut splendor iustus eius, et salvator Ecclesiae sicut lampas accendatur. Nova isthaec lucerna erit ardens et lucens in domo Dei; et non ad horam, sed usque ad consummationem temporum exsultabunt gentes in luce eius. Inter offusas mundi tenebras suspice brachium Domini post saecula multa modium ab ea removens, manuque eam tenens, ut luceat omnibus qui in domo sunt. Sic universa Dei soboles Tibi commissa, quae iam proximantem odoratur Ecclesiae triumphum, a Te in Bulla *Ineffabilis* praenunciatum, a Te promissum, a Te diu exspectatum, tantae lucis illustrata splendore, exsultabit laetitia inenarrabili et glorificata. O felix romana

tellus, quam tot Angelorum Ecclesiae Dei tangent pedes immaculati, qui, post sacrilegam bonorum omnium direptionem ab impiis perpetratam, dici possunt pedes pauperum, gressus egenorum! Eos a longe salutat Nahum Elcesaeus dicens: *Ecce super montes pedes evangelizantis et annuncianlis pacem: celebra, Iuda, festivitates tuas, et redde vota tua: quia non adiiciet ultra ut pertranseat in te Belial: universus interiit.* Age dum, Pater Beatissime, a Tua Maria Immaculata accipe pallium Ioseph, quod tam saepe benedictus fructus ventris sui Iesus, adhuc offendens pedibus tenella ac tremente arripiebat manu! Pastores ac Principes Ecclesiae Dei dexteram vel ipsi porrigent, laciniamque tenentes illud extendent super universum mundum a mari usque ad mare, et a flumine usque ad terminos orbis terrarum. Sic populus Christi pallio Ioseph feliciter obumbratus sedebit in pulcritudine pacis et in requie opulenta. Nae hoc ipsum sperare nos iuvat ab omnipotente Deo, qui Te spectaculum patientiae fecit mundo et angelis et hominibus, quique neminem in se sperantem nimum affligi permittit, sed pium precibus praestat auditum. Maxima immo fiducia nitimur, non procul a nobis esse diem illum, in quo pro postulationibus nostris votisque susceptis quamplurimas Deo (utinam Tecum!) ubicumque gentium, ubicumque locorum gratias agemus. Tunc manifestum id tandem unicuique erit quod non sine divini Flaminis illustratione piissimus Isidorus de Isolanis, Fratrum Praedicatorum Ordinis, in suae Summae de Donis sancti Ioseph parte tertia et capite octavo a quatuor prope saeculis praedixerat: venturum fuisse nempe Pontificem, qui summis Mariae Sponsum Ioseph coram Ecclesia Christi universa aucturus esset honoribus. *Suscitavit Dominus* (haec ille) *sanctum Ioseph sibi ad honorem nominis sui, caput et patronum peculiarem imperii militantis ecclesiae. Ante quoque diem iudicii futurum est, ut omnes populi cognoscant, venerentur et adorent nomen Domini, ac magna Dei munera, quae Deus ipse in sancto posuit Ioseph, et latere paene voluit longa per tempora. Quocirca abundabit nomen sancti Ioseph muneribus omnium*

bonorum terrae. Aedificabuntur templa ad illius honorem. Festa celebrabunt, et vota vovebunt eidem populi et solvent. Aperiet enim Dominus aures praecordiorum intellectus: et viri magni scrutabuntur interiora Dei dona in sancto abscondita Ioseph, et invenient thesaurum optimum, qualem apud sanctos patres veteris instrumenti non invenerunt. Hoc autem accidet praecipua sanctorum angelorum illuminatione. Populis denique sanctum invocantibus Ioseph foenus idem dabit de caelo, et ipse in maiestate gloriae suae perseverans a nullo mortalium foenus accipiet. In calendariis Sanctorum nomen decantabitur sancti Ioseph: et iam non erit in caudam, sed in caput. Fiet enim de illo festum praecipuum et venerabile. Mandabit enim Christi Vicarius in terris, Sancto suadente Spiritu, ut festum patris putativi Christi, sponsi Reginae mundi, hominis sanctissimi celebretur in omnibus finibus imperii militantis Ecclesiae. Quamobrem qui in caelis semper fuit supra, in terris non erit subter, etc. etc. Audi, Pater Sancte, haec presagientis viri piissimi verba, et inclina aurem tuam, ut in hac temporum angustia sis ille Christi Vicarius ab illo apertissime praenunciatus. Ante oculos tuos caelum aperiatur, et videas supplices pro Ioseph passisque palmis orantes Bernardinum Senensem, Teresiam a Iesu, beatam Mariam ab Angelis a Te in Beatorum numerum recens cooptatam, universam immo Caelitum familiam. Oh! fiant per Te novi et inclyti honores in capite Ioseph et in vertice Nazaraei inter fratres suos. Humillimus auctor pietati Tuae confidens haec scripsit Tibi, sciens quoniam et super id quod ipse dicit facies, et ad pedes Tuos sanctissimos provolutus omnibus precibus obtestatur, ut paterna Tua benedictione illum sociosque laboris eius peramanter dones. Amen.

CARMINA DUO

ALOISII EQUITIS DALLA VECCHIA CANONICI VICETINI

I.

PRO ILLA AUSPICATISSIMA DIE
QUA BEATUS IOSEPH
CHRISTIANI ORBIS PATER ET MUNDI SALVATOR
RENUNCIABITUR.

Quaeque hominum. convexa patent qua moenia mundi,
Mens agitans hodie tyberinas advolat oras:
Omnibus una fides, ardor sic omnibus unus,
Ut magno Ioseph possint gestire triumpho.
Namque hodie multis revolutis ordine saeclis
Lux illa alma venit, mundi qua fulgeat Auspex
Ille vir, ille inquam terris permissus, ut omnem
Summam fulciret rerum quacumque ruentum.
Quis referat fando, dignis vel Apolline chartis
Quantus eat tibi, Roma, dies hic, quantus et Orbi,
Cui numquam assimilem lustravit lampade Phoebus?
Mirum opus, et totum praesenti Numine plenum!
Hîc Pater, hîc nati, coeunt hîc Pastor et Agni,
Atque *Dei Missum* Ioseph vox quaeque salutat.

II.

AD PIUM IX.

Vive diu nobis, vive, ô ter Maxime Regum:
Tu columen fractis rebus et una salus.
Vive diu: felix tanto sub Principe Roma
Rideat infernas tuta hominumque minas.
Macte animo, Pater, ô, et macte ingentibus ausis:
Signa tibi statuet templaque Posteritas.

PRO TOTA SOCIETATE
MAIOREM SANCTI IOSEPH CULTUM PROMOVENTE
ANTONIUS-MARIA ARCHIPRESBYTER FRANCHINI
FERRARIENSIS.